



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 28. Varia Principum & Illustrium funera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII.
A. C. 1647.

§. XXVIII.

Varia Principum & Illustrium funera.

Eodem anno, quo Ferdinandus IV. *Orth. Con-*
 Cæsaris Filius Posonii in Regni *tin. p. 258.*
 Procerum comitiis in Hungariæ Regem *Brachel hist.*
 unanimi suffragio die tertia Junii electus, *Temp. l. 6.*
 solemnique pompa inauguratus & Anna Maria Ferdinandi III. Filia Philippo IV. Hispaniarum Regi ibidem per Legatum Hispanicum regio splendore desponsata erat, Anselmus Casimirus ex familia Wamboldiana de Umstatt Elector atque Archiepiscopus Moguntinus, qua dignitate per octodecim annos potiebatur, supremum diem non sine magno Imperii decremento obiit. Successorem habuit ex nobilissima Schönborniorum prosapia Joannem Philippum Herbipolensem Episcopum, qui rebus pro Germaniæ pace feliciter ac præclare gestis per universum Imperium cum insigni nominis, priscae sinceritatis, & annosæ prudentiæ fama inclaruit. Luctuosus quoque hic annus Danis exstitit ob nimis maturum decessum Christiani Principis, qui Christiani IV. Regis primogenitus erat filius. Hic enim, cum Dresda in Bohemiam curandæ valetudinis ergo ad thermas

H h 3

profi-

Sæc. XVII. proficisceretur, in quodam Saxonie
A. C. 1647. oppido morte interceptus est. Succes-
 sit eidem Fridericus alter Regis Danie
 Filius, atque Bremensis Archiepisco-
 pus. Haud minori luctu Poloniam
 Regemque involvit obitus unici octen-
 nis Filii sui, Principis optimæ spei, qui
 dysenteria correptus, communi tum
 Polonæ damno mortalitatem unacum
 proxima Regni spe exuit. Pariter hunc
 annum vitæ suæ exitialem habuit Hen-
 ricus Fridericus Princeps Arausicanus
 Belgicorum Ordinum Præfectus, qui
 die decima quarta Martii anno ætatis
 suæ sexagesimo septimo ex hydropisi
 decessit, suumque Filium Guilielmum
 II. Successorem habuit.

§. XXIX.

*Quorundam Scriptorum Religione
 Catholicorum obitus.*

*Miræus
 Script. Sæ-
 cul. XVII.
 Le Cerf
 Bibl. des
 Auth. de la
 Congr. de
 S. Maur.*

Præterea plures ex Catholicis Scripto-
 ribus Ecclesiasticis hoc anno dece-
 sisse comperimus, & quidem hos inter
 primus erat Robertus Suertius Ant-
 verpianus Canonicus, qui præter plura
 Polemica edidit tractatum, cui titu-
 lus: *cumulus mendaciorum Francisci Lands-
 bergii Ministri Batavi*, necnon alium de
 fide hæreticis servanda. II. Angelus
 Vulpes ex Ordine FF. Minorum Theo-
 logiæ